



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus
praesidiis obtineri ab unoqueque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Caput V. De primo divinæ scientiæ instrumento, quod est humilis, enixa,
& confidens divini luminis imploratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

acies pura à sordibus sit, tertia, ut eadem ob-
 jecto contemplando se applicet; ità ad interi-
 orem quoque DEI visum requiritur primò
 lumen idoneum, quod oratio à DEO impetrat;
 deinde mentis habilitas, quæ à cordis mundi-
 tia provenit; ac demum ejusdem mentis ad
 divinum suum objectum attentio, quæ in con-
 siderationis sedulitate consistit. Quanta hu-
 juscemodi instrumentorum utilitas, quæque
 opportunior ea usurpandi sit ratio, in capiti-
 bus porrò consecuturis monstrabitur. Hic
 notandum solummodo est, ceu neque ipsa,
 neque DEI cognitio intrà certum aliquem
 modum consistunt; sic pro majori, vel mino-
 ri eorum perfectione, magis fore, vel minùs
 perfectam cognitionem, cui serviunt.

C A P U T V.

De primo divinæ Scientiæ in-
 strumento, quod est humilis, eni-
 xa, & confidens divini luminis
 imploratio.



X duplici capite oritur nostra o-
 pis à DEO exposcendæ necessi-
 tas, quò illius assequamur sci-
 entiam: primò, quia, nisi su-
 um

um ipse nobis supernaturale lumen impertierit; eum cognoscere, quantum & quomodo oportet, nequimus: secundò, quia non nisi poscentibus, sua ille impertiri supernaturalia dona consuevit.

Et quidem non posse ab hominibus DEUM sinè supernaturali ipsius lumine, quantum & quomodo oportet, cognosci, indubitissimæ fidei veritas est, inque divinarum Literarum monumentis pluries testata. Testatur eam Regalis Psalmographus: dum, quamvis DEUM esse profiteatur purissimum lumen; non tamen videndo illi parem, absque novo illius lumine, se confidit futurum. (*Ps. 35.*) *In lumine tuo videbimus lumen.* Testatur Ecclesiasticus, nihil priùs in suo illo opere enuntians, quàm DEUM totius sapientiz esse fontem, (*c. 1.*) *Omnis sapientia à Domino DEO est.* Testatur D. Paulus, in illis secundæ suæ ad Cor. Epistolæ verbis. (*c. 3.*) *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEO est.* Ubi, si ad pias & frugiferas quaslibet cogitationes DEI auxiliò indigere nos docet; quantò id magis sentire de illis cogitationibus existimandus est, quæ creata omnia supergredientes, incomprehensibilem divinæ ipsius Naturæ excellentiam respiciunt? Testatur postre-

stremò magistrorum omnium magister, Christus, planissimè affirmans, æterni sui Patris scientiam nemini convenire, præterquam sibi, & quibus ipse impertiendam putaverit. (Matt. 11.) *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Quamobrem, qui se ipsum nolit ludificari, suamque omnem in cælestis hujus doctrinæ quæsitum operam perdere; illud altè animo inculpat Doctoris Seraphici munitum: (Itin Ment. in Prol.) *Nè fortè credat, quòd sibi sufficiat lectio sinè unctiōe, speculatio sinè devotione, industria sinè pietate.* Nullo quippe pacto, ut idem infra addit, nobis fas est, aut DEUM, quo tantò inferiores sumus, mente attingere, nisi supra nos levemur; aut *levari supra nos, nisi per virtutem superiorem elevantem nos.* (Ibid. c. I.

3. Advertendum tamen, ad tollendam vocum & sensuum ambiguitatem, hic est, quemadmodum suprà duplicem DEI scientiam distinximus, alteram merè scholasticam, curiosam, jejunam & sterilem, alteram verò mysticam, piorumque affectuum, & sanctarum operationum fecundam; sic diversa esse opis divinæ, quæ ad hanc, quæque ad illam requiruntur genera. Nam, ad primam quod attinet, ubi DEUS nos nascentes acuto, per-

E

spi

spicaci, experrecto, celerique ingenio dotata
verit; jam illi obtinendæ, vel finè alio ulte
riori auxilio atque munere, idonei sat sumus
At verò, ut in altera proficiamus, altero su
pernaturali lumine, aliisque opus est cælesti
bus donis: quæ nisi DEUS nova liberalitate
dignetur adjungere; cassæ erunt nostræ omnia
seu industriæ molimina, seu naturæ præsidia
per hanc quippe distinctionem perspicuum
evadit, quod cæteroqui nullo pacto intelligi
posset, quam scilicet ratione, & ad DEI
consequendam scientiam necesse sit DEI au
xilium efflagitare; & multi nihilominus, hoc
neutiquam efflagitato, scientiam DEI conse
quantur. Perspicuum id, inquam, evadit,
advertentibus, esse aliquam DEI scientiam,
cujus instrumenta homini, prius etiam, quàm
orare pro illis possit, in primo nimirum suo ortu,
donantur: & esse diversi generis aliam, cujus
facultas non nisi adulto, & oranti tribuatur:
adeò ut divini auxilii imploratio & huic om
nino necessaria sit, & illi non sit. Hinc
etiam quivis facilè arguat, sacras Literas, ubi
divinam scientiam profitentur rem esse, quæ
finè DEI auxilio obtineri ab hominibus ne
queat; non tam de scholastica Theologia,
quàm de mystica loqui. Nam ad priorem
obtinendam DEI auxilio indigemus, non pro
ut

ut ipsa specialiter Theologia, sed prout generatim scientia est: eodémque illo propterea auxilii genere, quo ad cæteras omnes, vel profanas doctrinas, naturali nimirum mentis vi & facultate, à DEO nascentibus imperita. At mysticam DEI scientiam adepturis alio auxiliorum genere, ipsis singulariter proprio, excellentiori scilicet quadam mentis habitudine, novo cælestis prorsus indolis lumine & supernaturali, ut sic loquar, ingenio opus est.

4. Jam verò quàm necessariæ ad supernaturale hoc auxilium & munus à supremo illius largitore consequendum sint preces, haud difficulter colligi potest ex iis omnibus divinorum eloquiorum locis, quæ ad DEI opem implorandam nos excitant. Cujusmodi sunt, *Petite, & dabitur vobis. Oportet semper orare. Vigilate omni tempore orantes. In omni oratione, & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud DEUM. Sinè intermissione orate.* (Matt. 7. Luc. 18. & 21. ad Philip. 4. 1. ad Thesal. 5.) & alia in eandem sententiam. Cùm adhortationes tam disertæ, ac toties repetitæ non aliam posse habere videantur veriolem causam, quàm orationis necessitatem: ordinarii nimirum communisque alvei, per quem DEUS voluerit sua in nos beneficia derivari: imò al-

vei, tam pene singularis, atque unici, ut D. Augustinus non dubitaverit scribere: *Nullum credimus, nisi orantem, auxilium promereri.* (De Lect. Dogm. c. 56.)

5. Necessè itaque est, mysticam DEI scientiam quærenti, preces pro ea largitori bonorum omnium DEO nuncupare. Verùm neutiquam satis fuerit, qualicumque modo id præstare. Ut nostra oratio plenissimam illam efficacitatem, & quasi omnipotentiam habeat, qua nihil non obtinetur; tribus instructam esse oportet, quas in hujus capituli titulo ei adjunximus, scilicet demissione animi, desiderii ardore, & impetrandi fiducia. Primò igitur orare nos convenit ab omni elatione animi vacuos, & nullâ nostri confidentiâ subnixos: ceu qui persuasum habeamus, divinam sapientiam muneris genus esse, quod nullis seu acquiri nostris viribus, seu deberi nostris meritis queat. Hæc enim justissima persuasio si absit, fieri non poterit, quin DEI auxilium oremus vel frigide, tanquam rem minùs necessariam; vel superbe, quasi mercedem debitam: quamdam hinc DEO afferentes necessitatem, illud nobis negandi, nisi nostram velit fovere arrogantiam. Quemadmodum è contrario, si eadem altè impressa in nostris mentibus fuerit; nec cessare nos sinet à di-

à divina ope instanter poscenda; & illi impetrandæ quàm maximè idoneos efficiet: secundum certissimam fidem ab Ecclesiastico nobis factam, ubi inquit: (c. 35.) *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & non discedet, donec Altissimus aspiciat.* Neque verò magnum quid fuerit, nos in Euangelii schola educatos, ità humiliter submissèque de nobis sentire; cum Trismegistus vel ex sola naturæ institutione huiusmodi sensus hauserit, Tatióque disciplinæ suæ alumno impensè commendatos voluerit: monens etiam, atque etiam, ut DEUM cogniturus, ad DEI opem confugiat, nec alibi, quàm in una hac sui profectûs spem ponat. (Pim. c. 5.) *Tu igitur inprimis, ô Fili, obsecra DEUM Patrem unum, & à quo unus, ut sis misericordiâ illius dignus. Sic enim tantummodo DEUM percipere poteris, si vel unus duntaxat illius radius intelligentiæ tuæ benignè refulserit.* Quæ humilitas, in Ethnico sapiente rarissima, videri potest DEUM permovisse, ut eos homini largiretur sublimes, & Christiano Theologo dignos de infinita bonitate, ac præstantia sua sensus, qui plerumque in illius monumentis occurrunt. Contra omnino, quàm tot aliis Philosophorum veterum accidit: qui, nimia sui æstimatione obcæcati, (Ad Rom. 1.) *Evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum*

est inspiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Impio Herodi per similes, qui, præsentem habens DEI Filium, licet aliis, atque aliis interrogationibus conaretur explorare, quisnam ille, & cujusmodi esset, (Luc. 23.) Interrogabat eum multis sermonibus: Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd multa audierat de eo: & sperabat, signum aliquod videre ab eo fieri. Vanitatis tamen & superbiæ suæ causâ nullum potuit ab eo responsum elicere. At ipse nihil ei respondebat. Sic enim & ipsi, esto variis attentissimarum speculationum quasi interrogationibus niterentur, expiscari à DEO aliquid de incomprehensibilibus divinæ suæ naturæ mysteriis, non potuerunt, quòd se ipsos ibi potius, quàm ipsum quærebant indigni ab eo habiti sunt, quibus sese aperiret. At ipse nihil illis respondit.

6. Petenda insuper à DEO est cælestis ejus scientia enixè instantèrque, prout munus tantè eximium meretur. Quòd certè nimis parvè se ostenderet facere, qui illud postularet verè ore duntaxat, alia interim omnia animo volvens, vel tam remissè, quàm si tantundem illi esset, admitti, ac repellere suas preces. Hic temporè in orando nauseam, & indignationem potius, quàm misericordiam DEI promeretur: neque sperandi ratio erit, magnæ illi cu-

curæ futurum id nobis concedere, quod tam parvæ nobis est impetrare. Nè vi sua & legitimo pondere careant nostræ preces, à Spiritu sancto nobis suggerantur, necesse est. Quales verò, quàmque fervidas ille soleat fuggerere, docemur ab Apostolo, tantam esse illarum vehementiam, scribente, ut verbis dignè exprimi nequeat. (*Ad Rom. 8.*) *Spiritus postulat pro nobis* nempe secundum Augustini interpretationem, (*Ep. 221. c. 15.*) *postulare nos facit, gemitibus inenarrabilibus.* Notum est, orationem in sacris Literis comparari cum thure, ceu in illis Psalmi centesimi quadragesimi verbis: *Dirigatur oratio mea sicut incensum,* inque Apocal. cap. 8. ubi legitur: *Ascendisse fumus incensorum de orationibus Sanctorum coram DEO.* Quemadmodum igitur thus foculo imponi, succendique necesse est, ut fragrantem suum halitus cælum versùs transmittat. Sic & oratio ex igniti cordis foculo prodeat oportet, quò cælum ascendendi, & DEUM suo odore delectandi vim habeat. Lepidus Arcesilai jocus fuit de Iponico, geometra non aspernando, sed homine desidiofo & inerti: (*Laërt, in V. Arc.*) Geometriam scilicet, dum is aliquando oscitaret, temerè illi in os involasse: quam ipse protinùs glutens, plenam illius cognitionem, finè ullo studii & laboris

impendio, per unicum sibi haustum parasset. Sed ego unumquemque, qui divinam sapientiam obtinere à DEO precibus nititur, serio admonitum volo, si ejus oratio à languida officitatione non differat, nunquam citrà miraculum fore, ut cæleste illud munus ipsius menti illabatur. Nihil est ingenti beneficio congruentius, quàm ardens desiderium: quantòque illud est majus; tantò fervidiorem hujus esse vim decet. Quæris, quonam pacto cælestium arcanorum intelligentiam Daniel meruerit? Disce ex Angelo, ad hæc illi revelanda divinitus misso, & sic eum alloquente: (*Dan. c. 9.*) *Ego veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es.* Ex quibus verbis S. Bonaventura eruit, cupienti divinorum mysteriorum cognitionem nancisci, opus esse, ut ad illam se comparet per vehementis desiderii, imò & plurium desideriorum, quæ crebrò iterentur, fervorem. (*Prol. Itin. Ment.*) *Non enim est dispositus ad contemplationes divinas, quæ ad mentales ducunt excessus, nisi cum Daniele vir desideriorum sit. Desideria autem in nobis inflammantur dupliciter: scilicet per clamorem orationis, quæ rugire facit à gemitu cordis; & per fulgorem speculationis, qua mens ad radios lucis directissime, & intentissime se convertit.* Quod si exemplum ardoris desideras, quo divinæ cognitionis lucem

cem

cem anhelare, & precari te deceat; Jerichuntinum illum cæcum, nomine Bartimæum, intueri: qui, audiens, humanæ reparatorem salutis secus viam, ubi confidebat, transire; (Mar. 10.) Cœpit clamare, & dicere: *Jesu Fili David, miserere mei.* Neque ideo, quia à multis juberetur tacere; suos compescuit, sed intendit potiùs clamores. *At ille multò magis clamabat, Fili David, miserere mei:* donec accersitus à Domino, *projecto vestimento exiliens venit ad eum,* visumque oculorum, quem tam sedulo instantèrque postulârat, recepit. Ah, nisi dupliciter cæci essemus, sed, veluti Bartimæus hic perspicuè videbat, quanta esset sua infelicitas, videndi usu carere; ità & nos probè intelligeremus, quanto careamus bono, dum DEI intelligentiâ caremus; nã pari, quin & multò majori sedulitate tantum hoc munus ab eo precaremur, nullum facientes finem clamandi, *Jesu Fili David, miserere mei. Domine, ut videam. Domine, ut videam.*

7. Neque solùm à cæci hujus exemplo discere nobis licet fervorem petendi, sed fiduciam quoque impetrandi, quam, præter duas condiciones jam expositas, nihilo minùs in oratione requiri affirmavimus, & cujus nominatim respectu Bartimæi votis Dominus annuit, dicens illi: *Vade, fides tua te salvum*

fecit. Et verò, quanti sit hæc fiducia momenti, ad nostrarum precum valorem, perillustri argumento esse potest peculiaris ratio, quam illius se habere toties ostendit DEI Filius, cum in ferenda supplicibus ope, illius mentionem nominatim facere solitus fuerit: sive laudans, qui eam præferrent, veluti mulierem Chananzam, pluresque alios; sive illam, quasi idoneam ad sua munera præparationem ab iis exigens, quibus deesset, ceu à Patre illo apud S. Marcum, cui dixit: (*c. 9.*) *Si potes credere, omnia possibile sunt credenti.* Ad quæ illius testimonia aliud libet adjungere, planioribus adhuc verbis à D. Jacobo in Canonica sua Epistola expressum. Ubi nempe sanctissimus hic Apostolus, & Domini frater, hortatur primò fideles, ut, qua egent, sapientiam à summa benignitate DEI postulent: (*c. 1.*) *Si quis vestrum indiget sapientiâ, postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter, & non impropere: & dabitur ei.* Tum pergit exigere, ut id muneris ab eo petant, cum minimè dubia impetrandi fiducia, *Postulet autem in fide nihil hæsitans:* ac demum concludit, si cujus oratio prædictâ certissimæ spei firmitudine careat; nihil esse, cur auditum se iri, qui hujusmodi est, à DEO putet. *Non æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.*

8. Neque mirum cuiquam videri debet, quòd indignus divinis prædicetur muneribus, qui ambigit, num ea sit precando obtenturus. Tam manifesta illius indignitas est, quàm injuriosa DEO illius diffidentia. Cùm, ità secum ambigens, eum, tanquam omni vacuum pietate, atque fide, suo in animo effingat? Ità sanè. Omnis primò expertem pietatis suo illum in animo effingit. Utque illud luculentius perspici queat, fingamus, te concubia & illuni nocte per loca admodum periculosa iter agere: juxtàque ædes transeuntem, quarum dominus in ipso vestibulo accensum funale manu præferat, orare hominem infimis precibus, ut, facem suam laternæ tuæ adinovens, tantillum huic luminis commodet: beneficium & tibi quàm maximè opportunum, & ab ipso sinè labore, aut impendio præstabile. Si ille interim, nullà neque tuarum obsecrationum, neque periculorum, quæ in cæco illo, & ancipiti itinere te circumstant, ratione habitâ, vel hoc ipsum tibi munus negaret; nònne tam immiti repulsâ omnis se humanitatis expertem, & quibuslibet barbaris ferociorem probaret? Age jam, & tecum perpende, num minorem hac duritiam possibilem in DEO sibi fingant, qui, supplicibus votis cæleste ab eo lumen poscentes, quo mune-

ne-

nere nihil seu ipsis necessarium magis est, seu illi facilius; timent nihilominus, nè ille affusos suis pedibus, nullo tactus pietatis sensu, abire è se jubeat, quales accesserant, miseros, tristes, egenos, omni vacuos subsidio. O timores, nimium quàm indignos animo admitti, dum opis gratiâ confugitur ad *Patrem misericordiarum*, ad inexhaustum bonorum omnium fontem, ad eum denique, qui, ceu verissimè scriptum à Gregorio Nanzianzeno est, (*Or. 2. de Theol.*) *Jucundiùs dat, quàm alii accipiunt, & cum beneficium ab eo petitur, beneficio se affici putat.* Et quid aliud hoc est, quàm DEUM palàm spoliare nedum suâ tam incomparabili, sed quavis vel exiguissima pietate: comminiscendo in mitissima ejus indole immanitatem ac sævitiam, qualem in nullo unquam suspicari auderemus, non dicam parente, aut amico, sed neque in ullo, qui humani aliquid sensûs habeat, esto alienigena, agresti, atque barbaro? Quisque inter orandum sensus fovet tam absurdos, divinæque adeò injuriosos pietati, merebitur eam experiri suis votis propitiam? Minimè quidem, minimè. *Non aestimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.* Primus ipsemet sibi negat, quod ab alio sibi ominatur negandum: precésque diffidenter nuncupare idem est, ac repul-

pulfas laceffere. *Qui timide rogat, docet negare.* (Sen in Hyp. Act. 2.)

9. Quid? quod ità de fuffefferu orationis fuæ dubitans, non immifericordem folummodo, fed & infidelem DEUM fingit. Neque obfcure id cuiquam effe potefte, qui meminert, quoties ille, quàmque enucleatè & difertè, quidquid animarum faluti opportu- num ab eo popofcerimus, feffe nobis largitu- rum récepit. Libétne certum aliquod ex hujuf- modi promiffis audire? En unum à D. Mat- thæo confignatum, quod omnes promifcucè petitores complectitur. (c. 7.) *Petite, & da- bitur vobis: quærite, & invenietis: pulfate, & ape- rietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui querit, invenit, & pulfanti aperietur.* En aliud apud D. Marcum, quod ad omne indifcriminatim petitionum genus fe exporrigit, (c. 11.) *Omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.* Qui ergo, poft accepta tot pignora, adhuc titubat, peténsque à DEO neceffarium illi cognofcendo lumen incertus animi pendet, impetraturúfne hoc fit, an non, tacitè videtur eï dicere: *Ampla quidem tua promiffa funt, Domine, fed ftaturúfne iis fis, an verba mihi dederis, expedire fat nequeo?* Ità fanè tunc ille, quamvis minimè advertens, intrà fe loquitur, & hujufmodi fensus in fua
illa

illa diffidentia necessariò inclusus continetur: DEUM repræsentsans, ut impostorem quempiam, nec vulgaris illum saltèm perfidiæ, sed quæ summa esse inter homines solet. Nempe hi, si quando fidem fallunt; non quia suamet infidelitate, & aliorum ludificatione delectentur, sed unâ sui alicujus emolumenti atque commodi causâ, consueverunt id facere. At DEUS, cùm propter infinitam perfectionis & beatitudinis plenitudinem, nihil possit amplioris boni ex suo quovis seu dicto, seu facto referre; concipi nequit, tanquam falsa nobis promittens; quin concipiatur, tanquam mero nos decipiendi studio ad ejusmodi fallacias impulsus. Quod malignitatis genus in ipsis etiam hominibus maximè detestandum, de DEO autem, qui pura pura veritas est, omnino incredibile, nec ab ullo propterea vel impudentissimo atheorum illi unquam affectum; posse tamen, ut ajebam, in eo reperi, tacitè affirmat, quisquis, post largissima ejus promissa, nemini suum auxilium ad necessarios animæ usus negandi, timet nihilominus, nè hac sibi in re tam præcipui momenti, quàm est DEI cognitio, negetur, illudque propterea, finè certa impetrandi fiducia, ab eo petit.

10. Atque hinc, non convenientia duntaxat

taxat, sed & facilitas immobilis hujus in orando fiducia palàm ostenditur. Cùm ad summam in ea firmitudinem nulla re alia opus sit, nisi ut tantum in DEO concipiatur misericordiae & fidelitatis, quantum esse in hominibus non pessimis solet: quantum nempe sat est, nè nobis ea neget beneficia, quæ nihil ei afferunt dispendii, & incommodi, nève nos fallere, si nè ullo emolumento suo, velit. Quinam igitur dubitandi sit locus, ubi omnia certos esse nos jubent? subjicit hìc sanctus Bernardus. Nihil aliud expectat, nihil aliud vult noster Dominus (*Serm. 2. de S. Andr.*) *Nisì ut sedulo & cum desiderio requiratur.* Et putabimus, negaturum petentibus, qui etiam non petentes provocat, & hortatur, ut petant? Præsertim verò cùm certiores hac de re nos facturum, neutiquam dedignatus sit promissionum suarum fidem validissimis etiam argumentis sancire. Quale illud est Lucæ II. ponderosum adeò, invictumque ipsius enthymema: *Si vos, cùm sitis mali, nostis bona dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?*

II. Reliquum est, ut, cum esse nos viderimus, divinæ cognitionis & habendæ maximè indigos, & nostris viribus assequendæ omnino impotes, & à DEO impetrandæ certif-

tissimos : humili , sollicita , & confidenti prece ad eum confugiamus : nullum facientes supplicandi finem , ut , quandoquidem ipse est ultimus finis , cujus gratiâ conditi sumus , proptereaque & necesse nobis est , si beati esse cupimus , ad ipsum tendere ; & impossibile , nisi ipsum agnoscamus , pertingere ; pretiosissimum hoc , adeoque necessarium scientiæ suæ munus orantibus volens ac benignus impertiat. Cujus precationis formulam exhibere nobis poterunt sive Hymni , quibus Spiritus sanctus ab Ecclesia invocatur ; sive Salomonis oratio in nono Sapientiæ capite ; sive nonnulli ex piis affectibus , à D. Anselmo in primo Prologii capite expressis , atque hi præsertim , quos illinc descriptos subjicio. *Eja ergo Domine DEUS meus , doce cor meum , ubi , & quomodo te quæram , ubi & quomodo te inveniam. Quid faciet , altissime Domine , iste longinquus tuus exul ? Quid faciet anxius amore tui , & longè projectus à facie tua ? Anhelat videre , & nimis illi abest facies tua. Invenire te cupit , & nescit locum tuum. Dominus meus es , & DEUS meus , & nunquam te vidi , & nondum te novi. Respice Domine , exaudi , illumina nos , ostende nobis te ipsum. Miserere labores nostros , & conatus ad te , qui nihil valemus sinè te. Obsecro Domine , esuriens incepti quærere te : nè desinam jejunus de te.*

PAU-

Pauper veni ad divitem, miser ad misericordem: nè redeam vacuus, & contemptus. Docere me quærere te, & ostendere te quærenti. Quia nec quærere te possum, nisi tu doceas; nec invenire, nisi te ostendas.

12. Ità pulsantes ad benignissimi Patris nostri januam, nullo fieri modo poterit, ut ille excludat à conspectu suo: sed magis usque, ac magis revelare nobis se perget, altiùsque nos quotidie in cognitionis suæ penetralia inducet. Certè si ex sapientissimo inter sui ævi mortales Salomone quæramus, undenam locupletissimos admirabilis suæ scientiæ thesauros eruerit; non aliam eorum indicabit fodinam, præter sua ad supremum Patrem luminum vota. (*Sap. 7.*) *Optavi, & datus est mihi sensus: & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ.* Nec aliter de se profitebitur splendidissimum Theologiæ lumen, Thomas de Aquino, tam sedulus in exposcenda à D E O cælestium illius mysteriorum iutelligentia; ut (*In Lect. Brev.*) *Nusquam se lectioni, aut scriptioni dederit, nisi post orationem: tantumque indè nactus luminis, ut nonnemini amicorum testari potuerit, Quidquid sciret, non tam studio, aut labore suo peperisse, quàm divinitus traditum accepisse. (Ib.)*